



**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &
Aquilejense Schisma describitur**

Noris, Enrico

Patavii, 1708

§. 3. Augustinus de origine animæ dubitans perperam erroris arguitur.
Ostenditur, Sanctos Patres eâ in dubitatione Augustino per plura sæcula
adbæsisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

§. III.

Augustinus de Origine anima dubitans perperam erroris arguitur. Ofsenditur, Sanctos Patres eâ in dubitatione Augustinò per plura Sæcula adhaesisse.

Tertius Sancti Augustini error palmaris, ac capitalis excutiendus est. Clamat Morainius: *Dubitavit etiam de origine animarum, utrum creentur de novo, quod certissimum est, an ex Adam propagentur?* Sed hic Recentior eam dubitationem errori Augustino vertens supinam, quâ laborat, totius antiquitatis ignorantiam patefacit. Non una erat antiquitas de origine animæ inter Patres sententia, ut videre est in Epistola Aug. 157. ad Optatum Episcopum, & in Epistola Hieronymi ad Marcellinum; quæ est 27. inter Augustinianas. At duæ, reliquis rejectis, celebriores in Ecclesiâ evaserant; alii enim creati à Deo animas in singulorum hominum conceptione dicebant, plurimi verò non creati animam à Deo, sed ex animâ parentis traduci contendebant. Augustinus in hanc quæstionem totius summi ingenii vires contulit, nihilque penitus indiscussum reliquit, quò rei veritatem assequeretur; sed cum neutram quæstionis partem efficaci auctoritate, aut demonstrativâ ratione, sibi probari animadverteret, neutri adhæsit; fusè tamen eâ re ventilatâ in lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 6. & seq. in quatuor libris de Origine animæ Epist. 28. ad Hieronymum, & in tribus Epistolis ad Optatum, quas laudat Sanctus Fulgentius lib. 3. de Verit. prædest. & Grat. cap. 18. Verùm exortis postea Pelagianis, qui peccatum originale inficiabantur, illud præcipuè argumentum jactantes, creati à Deo animas, nec illas posse à Deo produci cum peccato, ea sententia, quæ animarum propagationem defendebat, Sancto Doctori probabilior videri coepit. Audiatur Augustinus lib. 10. de Gen. cit. cap. 23. ubi post longissimam disputationem concludit: *His igitur quantum pro tempore potuimus pertractatis, omnia paria, vel penè paria ex utroque latere rationum, testimoniorumque momenta pronunciam, nisi eorum sententia, qui animas ex parentibus creati putant, de baptisimo parvulorum præponderaret.* Itaque ad finem usque vitæ Augustinus in eo dubio perseveravit. Cæterum tantum valuit Augustini exemplum, ut sapientissimi Patres eundem subsecuti, per plura sæcula cum Augustino de animarum origine dubitarint; donec Scholasticorum opinione prævalente, animarum traduce antiquato, earundem creatio in Ecclesiâ communis evasit. Hoc quidè diligentius ostendendum est, quia Bellarminus lib. 4. de Amis. grat. cap. 11. ex traditione Ecclesiasticâ contendit certam esse sententiam de creatione animarum, quod tam falsum apparebit, quàm verum, dubitationem Augustini ex traditione Ecclesiasticâ antiquis temporibus fuisse receptam.

Et quidè ante Augustinum de origine animæ dubitavit Rufinus in Epistola ad Sanctum Anastasium, ubi tribus recitatis de origine animæ sententiis: *Ego verò, inquit, cum hæc singula legerim, Deo teste dico, quia usque ad præsens certi, vel definiti aliquid de hac quæstione non teneo, sed Deo relinquo scire, quid sit in vero, & si cui ipse revelare dignabitur.* Quia verò Rufinus tertiam sententiam posuerat de animabus, quod factas jam olim, id est, tunc cum Deus omnia creavit ex nihilo, nunc eas iudicio suo dispenset in corpore, quod Origenem sensisse subdit, meritò vapulat à Hieronymo in Apologia, & in Epistola ad Marcellinum. At

Augustinus nunquam de eâ Origenis opinione dubitavit, esset-ne falsa, ut in Epist. 28. ad Hieronymum fatetur, rationem reddens, cur in libris de libero arbitrio ex illius suppositione disputarit. Rufinus tamen suo tempore, nempe Anastasio Summo Pontifice, quæstionem de animâ magnis contentionibus agitari ceptam ibidem testatur, & Hieronymus in Epistola laudatâ vocat eandem *maximam Ecclesiasticam quæstionem.* At tempore Sancti Augustini enatis Pelagianis eâ de re lites recrudere. Hinc ab Oratio in Africam ad Augustinum, indè in Asiam ad Hieronymum peregrinationes suscepit: hinc Augustini ad Hieronymum, & Optati ad Augustinum Epistolæ missæ: hinc ab eodem Optato unum, quatuor ab Augustino, & duo à Vincentio quodam de origine animæ scripta volumina. Res tamen dubia permansit, nihilque tot elucubrationibus peractum est. Hieronymus sententiam asserentem, singulas singulis hominibus animas creati, *potius credidit*, scribens tamen traducem animarum *Occidentalem Ecclesiam solere sentire* teste Augustino Epist. 157. At non ita creationem animarum tenebat, ut rem illam dubiam esse ingenuè non fateretur, cum eâ de re ab Augustino consultus respondit: *Unusquisque in suo sensu abundet.* Quare Sanctus Eucherius Episcopus Lugdunensis in cap. 3. Gen. ad illa verba: *Et edificavit Dominus Deus ait: Utrum sicut caro nascentium ex carne, sic animæ ex animabus procreentur, an novæ semper creentur à Deo ex nihilo? quæ quæstio in definiendo difficilis est, quia nihil à Sanctis viris, vel Scripturarum auctoritate manifestius pronunciatum est.* Pomerius etiam Africanus vir eruditissimus apud Massiliam scripsit octo libros de animâ, in quorum quarto disputavit: *Utrum anima, quæ nascituro corpori infundenda est, nova fiat sine peccato, an ex substantiâ animæ primi hominis velut propago à radice producta etiam peccatum primæ animæ seculo originaliter retrahat?* Apud Gennadium de viris illustr. cap. 98. & licet nesciamus, quid in eâ quæstione senserit, rem tamen suo tempore dubiam non obscure significat. Floruit hic circè annum 480.

Sequitur sextum Sæculum, in quo & Patres, & Synodi de origine animæ cum Augustino dubitarunt. Obortis Constantinopoli de origine animæ dissidiis Africani Episcopi de eodem argumento consulti ita responderunt in Epistola Synodica ex Sardinia, ubi exulabant, Byzantium missâ: *Quæstionem verò animarum, aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare; quia sine ex propagatione veniant, sive nova singulis corporibus fiant, quod Sanctarum Scripturarum auctoritas non manifestè pronunciat, cum cautela debet inquiri, maxime quod sine fidei detrimento potest à fidelibus ignorari.* Cap. 10. In eadem dubitatione fuit Sanctus Fulgentius lib. 3. de Verit. prædest. & grat. à c. 18. ubi Augustino, quod eâ de re dubitavit, eximie laudibus commendato cap. 20. concludit: *Quantò ergo melius ab hujus quæstionis certamine temperamus, in quâ nos inaniter laborare cognoscimus, præsertim quia quod à Sanctis viris majoribus, nostris videmus minime definitum, oportet nos tantò cautius, atque temperantius querere, quantò ad ejus finem illos præclaros viros certimus minime pervenisse.* Coætaneus Fulgentii Casiodorus in lib. de Animâ cap. 14. tantum abest, ut illud Augustini dubium reprehenderit, ut eundem potius ob id laudaverit: *Pater, inquit, Augustinus religiosissimâ devotione laudandus, nihil temerè dicit esse affirmandum, sed in ipsius esse secreto, sicut & alia multa, quæ nostra non potest nosse mediocritas.* Et statim: *melius est enim in tam occultis causis constiteri ignorantiam, quàm*

quàm periculosam assumere forassis audaciam. Ita altero post Augustinum Sæculo dubitatio de origine animæ sapientissimorum Patrum menti altius infederat.

Verùm circa Sæculum VII. Augustiniana dubitatio longè celebrior, atque dignior evasit, eam enim suo iudicio Apostolica Sedes approbavit, suamque effecit, ac doctissimi Patres eandem inter fidei dogmata retulere. Sanctus Gregorius Magnus lib. 7. Epist. 53. ad Secundinum scribit: *Sed hæc de re dulcissima mihi tua charitas sciat, quia de origine animæ inter sanctos Patres requisitio non parva versata est, sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certè singulis detur, incertum remansit, eamque in hæc vitâ insolubilem falsi sunt esse quæstionem, gravis enim quæstio est, nec valet ab homine comprehendi.* Hæc doctissimus, ac sanctissimus Pontifex. Ex quibus prorsus evanescit illa Ecclesiastica traditio, ex quâ creationem animæ Bellarminus deducit; nam, teste Gregorio, Sancti Patres eam de origine animæ insolubilem falsi sunt esse quæstionem. Vides igitur non unum à Morainio Augustinum erroris argui, sed & in Gregorio Apostolicam Sedem, & Patrum Senatum, à quibus dubitatio Augustini approbata fuit. Sed aliquid majus addendum est. Itaque cum communiter de origine animæ dubitaretur, tantum ea dubitatio in Ecclesiâ invaluit, ut Sanctus Idorus Hispanensis Antistes non fuerit veritus, eandem inter regulas fidei veluti ab omnibus Catholicis credendam reponere. Etenim lib. 2. de Offic. Eccl. cap. 23. quod incipit: *Hæc est autem post Apostolorum Symbolum certissima fides, quam Doctores nostri tradiderunt, inter alias sententias, quas de fide tenendas proponit, hanc inserit: Quod incerta sit animæ origo.* O' eximiam Recentiorum eruditionem, qui eam Augustino dubitationem errori vertunt, quam & Apostolica Sedes, & Synodi, & Patres plenis suffragiis subscripserunt, eamque unus eorum doctrinâ, ac pietate illustri de fide populis credendam proposuit!

At nec VIII. neque IX. Sæculo res definita fuit, sed sapientissimi Patres cum Augustino, imò cum Apostolicâ Sede adhuc dubitabant. Testis sit Sanctus Prudentius Episcopus Tricassinus, cujus laudes recitat Sausajus in Martyrologio Gallicano, qui in lib. de Prædest. adversus Joannem Erigenam ita loquitur cap. 16. *Nascitur enim de carne caro, sed utrum & anima similiter de animâ nascatur, magna quæstio est, & à Patribus diu, multumque discussa, sed absque certâ definitione relicta.* Itaque usque ad annum 850. quo tempore Sanctus Prudentius vivebat, ex Ecclesiasticâ traditione dubia erat de origine animæ sententia. Verùm nec post millesimum annum ita certa erat sententia de creatione, ut plures de eadem non dubitarent. Sanctus Anselmus Cantuariensis Antistes morti proximus cuidam familiari sibi dicenti: *Ad Paschalem Domini tui curiam relicto sæculo vadis, hæc reposuit: Et quidè si voluntas ejus in hoc est, voluntati ejus non contradico; verùm si mallet me adhuc inter vos saltem tandiu manere, donec quæstionem, quam de animæ origine mente revolvo, absolvere possim, gratosus acciperem, sed quod nescio, utrum aliquis eam me defuncto sit absolurus.* Hæc ille ad annum 1109. teste ejus discipulo lib. 2. de Vita ejusd. cap. 59. apud Surium 21. Aprilis. Hugo à Sancto Victore lib. 1. de Sacram. par. 7. cap. 30. probat animam non esse ex traduce, sed creari, ait tamen: *Probabilius constat animas ex traduce non esse. Et inferius: His igitur, & hujuscemodi rationibus probabile factum est, animas ex traduce non esse, sed novas de nihilo creatas quotidie corporibus de paterno semine fieri, & curis in vulvâ formatis ad vivificationem*

infundi. In quibus tamen omnibus nulla unquam ratio, sive auctoritas incantum prævalere potuit, ut dubietatem tolleret quæstionis; excepto eo solo, quod fides Catholica magis credendum elegit, animas quotidie corporibus vivificantibus sociandas de nihilo fieri, quàm secundum corporis naturam, & carnis humanæ proprietatem de traduce propagari. Ex quibus patet, ad annum usque 1130. quo floruit Hugo, nullâ neque ratione, neque auctoritate dubietatem quæstionis de origine animæ sublata fuisse, sed tunc in Ecclesiâ magis communiter defensatam esse sententiam de creatione animarum. Hinc Magister Sententiarum in 2. dist. 19. dixit, Ecclesiâ Catholicam docere animas non esse ex traduce, quâ sententiâ ab Scholasticis receptâ animarum creatio asserita est, ita tamen ut, teste Bellarmino lib. 4. de Amis. grat. & statu pecc. cap. 10. in fine, adhuc non desinat, qui in eâ Sancti Augustini dubitatione hærendum censent. Estius quidè nobilis Theologus scribit 2. sent. dist. 17. §. 14. nihil esse de origine animæ ab Ecclesiâ definitum, nec futuros esse fidei reos, qui eâ de re dubitent. Sed viderint illi, qui ita dubii adhuc esse vellent, sat mihi est ostendisse, jure Augustinum de origine animæ dubitasse, eamque dubitationem per plura Sæcula Sanctis Patribus placuisse. Sanè prudentissimus fuisse dicendus est, qui in quæstione difficillimâ iudicium suspendit, cum nihil certi ab Ecclesiâ definitum esse sciret; ubi enim de re obscurissimâ disputatur non adjuvantibus divinarum scripturarum certis, clarisque documentis, cohibere se debet hum. na præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando. Ita suam hanc perplexitatem defendit lib. 2. de Pecc. mer. cap. 36. Hinc cum Pelagiani ex creatione animarum, quam altius exaggerabant, deducerent, non posse illas habere peccatum originale, ne aliâ in Deum creatam culpa rediret, lib. 3. ad Bonif. in fine, & ex literis Zosimi, quarum fragmentum recitat in Epistola 157. Sanctus Doctor in utraq; sententiâ tam affirmantium animarum traducem, quàm negantium, peccatum originale benè posse componi demonstravit, ac rem apud Ecclesiâ certissimâ juxta utramque opinionem explicare conatus est, ne cui peccatum originale incredibile videretur.

Bellarminus concedit, Augustinum de animæ origine dubitasse, addit tamen in scriptis post libros de Genesi ad literam apertissimè refellisse sententiam de traduce animarum, quod in Epist. 157. ad Optatum hæc scribat: *Itaque illi, qui propagationem animarum inconsideratâ temeritate defendunt.* Et superius loquens de sententiâ Tertulliani, qui ponebat traducem animarum dicit: *Quo quid perversius dici potest? Non assentior, cum in illâ Epistola adhuc se dubitare fateatur; nam recitatâ utraq; opinione de creatione, & traduce animarum initio statim Epistolæ ait: Quarum autem rerum, atque causarum consideratione permovear, ut in neutram assertionem meus inclinetur assensus, sed ADHUC inter utramque disceptem.* Et lib. 1. de Orig. anim. c. 16. de traduce animarum ait: *Ego nec defendo, nec refello.* Hos autem libros Sanctus Doctor composuit, post illam Epistolam, quam Cæsareâ dedit ad Optatum, ut ostendimus lib. 1. Hist. Pelag. cap. 15. in iis autem libris suam dubitationem fusissimè defendit contra Vincentij Victoris reprehensiones. Solvit tamen ibi more solito argumenta utriusque sententiæ, quod non est opinionem de traduce refellere, sed ejusdem incertitudinem demonstrare. Hinc illius assertores inconsideratæ temeritatis arguit, non quod putaret illos falsum asserere, sed quod culpam

promptam eorum audaciam, quâ opinionem non certis argumentis stabilitam uti veram contentiosè defenderent, quia ut inquit in Epistolâ laudatâ: *ubi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, & apertè divina Scriptura non subvenit, temerè hinc aliquid definire humana conjectura præsumit.* Undè apud Augustinum inconsideratâ etiam temeritate alii mordicè oppositam sententiam de animarum creatione sustinebant. Sed neque quod Augustinus de sententiâ Tertulliani dixit, contrâ sententiam de traduce animarum eo modo, quo ab Augustino explicabatur, ut argumentis contrariâ sententiâ responderet, accipiendum est. Nam Tertullianus indè ab Augustino reprehenditur, non quòd traducem animarum poneret, sed quòd non rectè illum assereret, cum putaret animam esse corpoream, atque ad eòd per semen corporeum generantis traduci: *Nam & illi, scribit Augustinus, qui animas ex unâ propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri. Quo perversius quid dici potest? Et in hoc sensu Sanctus Thomas 1. p. q. 118. art. 2. ait, hereticum esse dicere animam traduci cum semine, nempe corporeo, ut ipse ibidem probat, in quo sensu communiter etiam Scholastici 2. d. 17. & 18. sententiam de traduce animarum rejiciunt.* At Sanctus Doctor nunquam de hoc modo Tertulliani traducendæ animæ dubitavit, sed eundem tum in eâ Epistolâ, tum lib. 10. de Gen. c. 25. exploit, atque *incredibilius dogma pronuntiavit.* Sed dubitavit Augustinus, *utrum INCORPOREUM semen anima suâ quadam occultâ, & invisibili viâ seorsum ex patre currat in matrem, cum sit conceptus in semina:* in eadem Epist. 157. De iis verò, qui minori cum difficultate traducem defendebant scribit lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 20. *Per semen quippe concubentis patris transfundi etiam semen animæ volunt.* Nam animam rationalem ex materiâ corporeâ factam fuisse, illi soli dixere, qui eandem corpus esse putarunt ex Augustino lib. 7. de Gen. cap. 9. contrâ quos in eo libro idem acutissimè disputat. Quare censura illa Augustini eos tantum perstringit, qui animam corpoream juxtâ Tertulliani errorem ex corpulentis seminibus originem trahere asseverabant. Qualem verò se exhiberet Augustinus erga utramque sententiam audiatur lib. 10. de Gen. cap. 21. *Ego adhuc inter utrosque ambigo, & moveor aliquando sic, aliquando autem sic.* Et cap. 23. *Admoneo sanè, inquit, quantum valeo, si quos ista præoccupavit opinio, ut animas ex parentibus credant propagari, quantum possunt se ipsos considerent, & interim sapiant, corpora non esse animas suas.* Ex quibus Adamus iterum refellitur, dum scribit, Augustinum credidisse animam esse corpoream, quem errorem Sanctus Doctor toto eo libro persequitur.

Bellarminus, ut probet ex traditione Ecclesiasticâ animas à Deo creari, nonnullos Patres adducit, qui etiamsi aliquo modo explicari possent, nullo nobis impedimento esse debent, nam apud Græcos in Orientali Ecclesiâ creatio animarum communiter tenebatur. Apud Occidentales verò, teste Hieronymo, opinio de traduce prævalebat. Idem Pater initio quidem hanc secundam sententiam irridebat in cap. ult. Eccl. motus illis verbis, *& spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* vers. 7. Sed hoc testimonium egregiè interpretatur Augustinus lib. 10. de Gen. c. 9. & cum in Epist. 28. ad eundem Hieronymum ostendisset, eum locum *plus suffragari eis, qui ex unâ putant omnes esse animas,* non amplius sententiam de traduce

Hieronymus irrisit, sed laudatâ Augustini diligentia in explicandis Sacræ Scripturæ testimoniis adhibita rescripsit Epist. 30. apud Augustinum: *Unusquisque in suo sensu abundet,* contestatus nihil se in literis Augustini, in quibus latissimè de Origine animæ disputavit, reprehendendum putare. Commentarios autem in Ecclesiastem scripsit ante annos ferme decem quàm scriberet ad Pammachium contrâ errores Joannis Hierosolymitani, anno nempe 483. nam Epistola illa data est anno 493. ut eruditè num. 2. ejus anni probat Baronius. Cum verò libri Augustini per Ecclesiam avidè legerentur, sapientiores quique cum Augustino dubitare cœperant in neutram partem inclinantes, ut demonstravimus, magnâ cum Augustini gloriâ, cum Patres subsecuti tanti illius auctoritatem fecerint, ut non modò docentem, sed etiam dubitantem sequi voluerint, quasi desperantes veritatem illam assequi, ad quam Augustini ingenium pervenire non potuerat. Itaque Sanctus Doctor tanto studio, ac diligentia omnia scripturarum loca pro utraque parte adducta exponens, rem satis dubiam apud posteriores fecit, suamque illis dubietatem persuasit. Bellarminus ibidem ex Hieronymo eam Ecclesiasticam traditionem ita probat: *In Epistolâ ad Pammachium de erroribus Joannis Hierosolymitani ante medium recitatis sententiis Origenis, Tertulliani, & Apollinaris hereticorum de animâ, dicit: Ecclesiasticum dogma esse, ut Deus quotidie animas fabricetur: Ubi cum opponat Ecclesiasticum dogma sententiis hereticorum, videtur omninò sensisse, Catholica fide esse tenendum, animas non traduci à parentibus, sed creari.* Hæc Bellarminus. Verum Hieronymi verba audire præstat in Epistolâ ad Pammachium: *An certè (quod Ecclesiasticum est secundum eloquia Salvatoris: Pater usque modò operatur, & ego operor: & illud Esaiæ: Qui format spiritum hominis in ipso, & in Psalmis: qui fingit per singulos corda eorum) quotidie Deus fabricetur animas &c.* Bellarminus addit dogma, & silet hæc, secundum eloquia Salvatoris, cum Hieronymus illud asseritum Ecclesiasticum dixerit, non quòd esset dogma definitum ab Ecclesiâ Catholica, ac de fide tenendum, cum scripserit, Ecclesiasticos Occidentales traducem solere communiter defendere, ut fateatur ipsemet Bellarminus cap. illo 11. *S. Quarta sententia.* sed ut ibidem subdit, quòd esset secundum auctoritatem Scripturæ, quæ videtur creationem insinuare, quæ tamen loca explicat Augustinus superius laudatus, & Bellarminus ipse ait: *Quare ut Sanctus Augustinus disputat in Epistolâ 28. ad Hieronymum, nullus fortasse Scripturæ locus invenietur, in quo perspicuè doceatur, animas non fieri ex propagine, sed creari.* Quare secundum eloquia Salvatoris haud perspicuè statuitur asseritum illud de creatione animarum, & sic Bellarminus à Hieronymo discedit, quem pro se produxerat, neque erit amplius asseritum Ecclesiasticum, cum eo titulo tantum à Hieronymo dicatur, quòd sit secundum eloquia Salvatoris, juxtâ explicationem auctorum illius sententiæ.

Opponit idem Auctor, Leonem Magnum in Epistolâ ad Turibium cap. 10. hæc scribere: *Catholica fides constanter prædicat, atque veraciter, quòd animæ hominum prius quàm suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab ullo incorporarentur, nisi ab opifice Deo, qui ipsarum est creator, & corporum.* Sed ibi Pontifex Origenis sententiam de antiquâ, ac simul tanè omnium animarum creatione confutat, ut patet ex illâ Epistolâ 91. initio cap. 10. neque minus dicitur ibidem Deus creator corporum, ac animarum; undè sicut ex illo modo loquendi

70: 5.
17.
Isa. 42.
Ps. 32.

loquendi non deducitur, corpus non esse ex traduce, nullo item modo inferri potest, non fieri ex traduce ipsam animam. Addit Leonem eundem Epist. 11. ad Julianum ita loqui de animâ Christi: *Nec alio illi, quam cæteris hominibus, anima est inspirata principio, quæ excelleret non diversitate generis, sed sublimitate virtutis.* At anima Christi producta est ex nihilo, non per traducem propagata ex Augustino lib. 10. de Gen. c. 19. & 20. undè & reliquorum hominum animæ juxta Leonis decretum à Deo creatæ fuisse credendæ sunt. Sed Leo ibidem damnat opinionem Eutychetis cum Origene concinentis; nam ita loquitur: *Arbitror enim, talia loquentem hoc habere persuasum, quod anima, quam Salvator assumpsit, prius in cælis sit commorata, quam de Mariâ Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularet.* Ex quibus patet, illis verbis: *Nec alio illi, quam cæteris hominibus anima est inspirata principio*, non significari principium, quod idem est ac causâ animæ productiva, de quo nulla erat cum hæretico controversia, sed principium, hoc est, initium durationis, quod idem fuerat in Christo, ac in nobis, nempe initium vivendi in corpore, non in cælis antè corporis formationem. Do verba Pontificis de Verbo scribentis, *nec animam enim, quæ anterior extitisset, nec carnem, quæ non materni corporis esset, accepit.* Quomodò verò defendentes traducem acutè probarent animam Christi fuisse creatam à Deo, non verò reliquas aliorum hominum; Lege Augustinum lib. de Gent. cit. c. 20. nobis enim satis est ostendisse nihil contrâ traducem à Leone esse statutum, ut Ecclesiastica illa traditio de creatione animarum à Bellarmino asserta, nullis innixa fundamentis appareat, cum potius de animæ origine dubitatio Augustiniano speculatu corroborata, per plura secula apud Patres invaluerit, ut satis hucusque est demonstratum.

Moraines, qui eam Sancti Patris dubitationem in errorum indicem rejecit, non modò omnia, quæ antiquitus dicta sunt, ignoravit, sed nec quid Recentiores audacter pronunciarunt, planè novit. Scripserat vir doctissimus Christianus Lupus, cum adhuc juvenis scripto luderet, in defensione Apologiæ de animâ ovi cap. 15. Doctores Marpurgensis Academiæ hanc thesim defendere: *Anima rationalis per traducem infunditur, non creatur.* In hac etiam sententiâ alios esse testantur Vossius lib. 2. Hist. Pelag. par. 1. thesi primâ, & Alipius Roylof lib. 6. de animâ ad mentem Sancti Augustini cap. 2. §. 3. nominans Timotheum Brightum Cantabrigensem, Georgium Sohnium, & Danielelem Sennertum, qui cum ob eximiam eruditionem inter celeberrimos nostræ ætatis Medicos merito reponatur, audiendus est, licet non approbandus. Hic ergo Hypomnematè 4. cap. 14. ait: *Rationalis anima in primâ creatione & à Deo Opt. Max. condita, & corpori humano insita quidem est, verum per illud;*
 Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini, vim se propagandi, & multiplicandi accepit, & quidem cum semine. Neque enim anime rationalis essentia per se completa est, ut Angeli, quæ per se sola subsistat, sed est pars altera hominis, quæ corpus humanum informat, & proinde sicut societas illa corporis nihil ejus nobilitati derogat, ita nec propagatio cum semine. Item ibidem addit: Quod Dom. Fienus falsum, absurdum, & à Religione Catholica alienum putat, animam esse ex traduce, est verissimum, & sacris literis consentaneum. Adducitque nonnulla Sacræ Scripturæ testimonia, quæ tamen eruditè olim exposuit Augustinus, ne ex sacris areanis aliquod oppositæ sententiæ præjudicium fieret. Hæc, inquam, refero; sed non probò. Illud tamen advertendum est,*

quod superius ex Epist. 157. ad Optatum indicavimus Augustinum dubitasse, num anima per INCORPORABLEM SEMEN traduceretur, in quâ sententiâ nulla videri debet evidens repugnantia, cum plerique Scholastici admittant materiam spirituales non esse impossibilem. Ita ex materiâ spirituali Angelos componunt Sanctus Bonaventura 2. dist. 3. in 1. part. art. 1. q. 2. Alensis 2. p. q. 20. memb. 2. §. 1. Aureolus 2. dist. 3. q. 1. art. 3. Ex Recentioribus materiam illam possibilem tradunt Bubalus in q. 50. Sancti Thomæ de Angelis art. 2. q. 2. difficul. 2. §. 1. Arriaga disp. 1. de an. ma. sect. 5. Comptonus disp. 9. de anim. sect. 2. Hanc sententiâ de materiâ spirituali, ex quâ anima componatur, fusè defendit Pater Matthæus Vegliensis in hac celeberrimâ Patavinâ Academiâ Theologicæ cathedræ Scoti moderatur, vir rari ingenii, ac nostro præconio major. Hic enim Tom. priori de Angelis q. 27. probat Angelos ex materiâ spirituali componi, quod quæstione sequenti etiam de animâ dicendum esse contendit laudans cap. 1. num. 3. quosdam Scottistas, qui in eandem sententiâ descenderunt. Hæc ergo materiâ spirituali animæ admittæ, quam tot Scholastici defendunt, non erit difficile statuere animarum educationem secundum formam ex eadem materia spirituali. Noster Alipius Roylof proximè laudatus ex eo animarum traducem possibilem defendit, quod anima ut Dei instrumentum, alteram animam creare potest, quàm virtutem creaturæ communicari posse nobiles Scholastici existimarunt. Sed prior modus magis placet. Quæ hic libuit insinuare, ut insulas quorundam censuras refellam, qui Augustinum reprehendunt, quod traducem animarum probabilem asseruerit, cum tamen evidenter constet, animas non posse educi de potentiâ materiæ corporeæ aliàs essent mortales. Etenim nusquam Sanctus Doctor arbitratus est, animas posse educi de materiâ corporeâ, sed tantum de materiâ spirituali, quam esse possibilem tot superius memorati Doctores concedunt; illâ autem concessâ non video, cur educitio formæ spiritualis ex materiâ spirituali aded evidenter impossibilis appareat, ut errori verti debeat Augustino, quod illam educationem probabilem duxerit. Fateor materiam spirituales, ex quâ anima fieret, visam fuisse difficilem Augustino, ut patet ex lib. 7. de Genesi ad lit. cap. 6. & seq. Undè ait cap. 7. *An verò illa spiritualis materies, si fuit ulla, undè anima fieret, vel si est ulla, undè anima sunt, quid ipsa est, quod nomen, quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet? Vivit an non? &c.* ubi fusè materiam spirituales per modum disputantis examinat. Idem verò Sanctus Pater Epist. 157. ad Optatum proponit difficultates, quæ insurgunt posito illo semine spirituali, ex quo anima fiat; ut inde satis pateat quantum studii illi dubitationi tollendæ impenderit, sed cum utrimque magnis difficultatibus se premi cerneret, assensum suscipit. Neque enim probare possum hæc Bellarmini verba lib. 4. de Amis. grat. c. 11. *Certe Sanctus Augustinus, si nunc inter homines viveret, non solum sciret, sed etiam gratias ageret iis, qui nostram hanc sententiâ de creatione tuerentur.* At cur hæc gratias Recentioribus Augustinus deberet? Quod ex Scripturâ sententiani de creatione animarum ostenderint? At omnia sacrarum literarum testimonia Augustinus expendit, excussitque. An Scholasticorum auctoritatem sequeretur? Imò potius cum Patribus, quos laudavi, adhuc in veteri dubitatione persisteret: Rationibus eorundem contrâ traducem convinceretur? At illæ præterquam quod ab affirmantibus materiam spirituales

facile solvi possunt, id tantum evincerent, ut Augustinus ab admittendo traduce assensum contineret, quod & semper fecit, non autem in sententiam de creatione singularum animarum eundem traherent, in qua non minoribus difficultatibus se premi sentiebat, præcipue verò, quòd datà eà sententiã, quam etiam Pelagiani toto conatu urgebant, difficultas traducendi peccatum originale statim emergit, quã ad eò premuntur Scholastici, ut in assignando modo, quo labes illa per generationem trahatur, minime inter se conveniant, sed sese invicem acerrimè oppugnent. Suspenderet igitur etiam nunc assensum Augustinus, & tunc gratias tantum ageret, cum certum modum proponerent, quo datà creatione animarum, peccati originalis propagatio ad eò evidenti ratione constaret, ut modus ille à nemine rejici posset.

Ex hucusque dictis satis elucet, quàm immeritò, Moraines, Augustino de Origine animæ dubitanti erroris notam inuris, nam plenis Sanctorum Patrum suffragiis ille absolvitur, & te invito panegyricum eidem recitat Magnum Africanæ Ecclesiæ ornamentum Sanctus Fulgentius Ruspensis Antistes his planè verbis conceptum: *Questionis de origine animæ Beatus Augustinus profunditatem sibi imperscrutabilem cernens, nullam voluit hujus rei defini tam proferre sententiam, incongruum prorsus existimans aliquid affirmare sine dubitatione velle, quod alter posset contrariã responsione convellere. Cujus tam in decimo libro de Genesi ad literam, quàm in libris ad Vincentium Victorem de origine animæ, nec non in libro primo ex duobus, quos ad Sanctum Hieronymum scripsit, in tribus quoque Epistolis, quas ad Optatum Episcopum de hac questione composuit, disputatione resulget non minus copiosa, quàm profunda, & eò magis laudabili, quia congruã temperie moderatã; ubi quicquid ingenti acumine, quicquid ratiocinationis ordine, quicquid auctoritatis pondere inquirendum, discutendumque conspexit, & inquiriuit singulariter, & discussit, consensum tamen ab utraque definitione continuit, ne laborem tantæ disputationis inaniter susceperet, quem cujuslibet sententiæ temerariã definitio vacuaret.* Lib. 3. de Verit. prædest. & Grat. cap. 18.

§. IV.

An fuerit sententia Sancti Augustini, pueros baptizatos sine reali Eucharistia sumptione non posse salvari?

TRanseamus modò ad reliquos errores, quos de Augustino Recentiores publicant. Opponit Adamus pag. 584. Augustinum docuisse, *infantes etiam suscepto baptismo non posse salvos fieri sine reali sumptione Sanctissimæ Eucharistia.* Moraines recitatis verbis Sancti Augustini lib. 1. de Pecc. mer. cap. 20. §. auferatur jam dubitatio. ait: *Que verba sunt ad eò manifesta, ut difficillimè patiantur benignam interpretationem, quã plerique Theologorum Augustinum ab errore excusare conantur, error enim est notatus, & damnatus sub anathemate à Concilio Tridentino.* Hic quoque Augustini causã tuta est Romanã Ecclesiã Sancto Doctori patrocinate, Apostolicæ enim Sedis Pontifices eadem omninò Augustini verba contra Pelagianos usurparunt. Cum hæretici coacti illis verbis Domini Joann. 3. 6. *Nisi quis renatus fuerit ex aquã, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,* concederent pueros sine baptismo mortuos non ituros in regnum cœlorum, cum illos sine peccato originali esse vellent, negabant eosdem in ignem æternum pro-

ficiendos, sed dicebant, illos habituros nescio quam vitam æternam, beatam, ac felicem, ut tradit Augustinus Serm. 14. de Verbis Apost. Lib. 4. de Orig. animæ cap. 13. Epist. 106. & alibi: *Quare ut hocce effugium Pelagianis præcluderet, illud Joann. 6. 54. opposuit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, inferens parvulos sine baptismo decedentes, cum non manducarint carnem filii hominis, aut ejus sanguinem biberint, non habituros vitam beatam, & per consequens fore damnatos.* De hoc argumento ex Sacris literis ab Augustino deducto hæc scribit ibidem Moraines: *Item lib. 1. de Pecc. mer. & rem. cap. 20. & lib. de Prædest. Sanctor. cap. 13. & lib. 2. Oper. Imperf. contra Jul. cap. 29. docere videtur, Sacramentum Eucharistia non minus esse necessarium parvulis ad salutem, quàm baptismum, neque minus ad eos pertinere, quod dicitur Jo. 6. 54. Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, quàm illud Jo. 3. 6. Nisi quis renatus fuerit ex aquã, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei &c.*

Sed post Augustinum Romani quoque Pontifices, qui Pelagianos damnarunt, eodem prorsus testimonio Joannis 6. citato usi sunt, ad vitam illam, quam pueris Pelagiani sine baptismo promittebant, eliminandam. Sanctus Innocentius in literis ad Patres Synodi Milevitane ita scribit: *Illud verò, quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ premiis etiam sine baptismatis gratiã posse donari, per fatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hæc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle easare, cum prædicant eos habere, quod in eos creditur non nisi baptismo conferendum.* Putat Maldonatus textum esse corruptum dicens, ea verba Innocentii vix sensum ullum congruentem habere posse: *Ubi ergo, inquit, est defendunt, legendum puto deferunt, & ubi est nisi baptismo, legendum puto, sine baptismo.* Vasquez 3. p. disp. 279. cap. 4. num. 55. cum animadversiones Maldonati notasset, legit, *in eis d. defendunt.* At illa verba optimum sensum habent, nam vel ipse Cicero usus est illis particulis *non nisi* in lib. de Amicitia: *Hoc primum sentio, non nisi in bonis amicitiam esse non posse.* In Synodo etiam Carthagenensi Anno 397. can. 29. dicitur: *Ut Sacramenta Altaris non nisi à jesu nisi hominibus celebrentur.* Verbum verò defendo cum dativo jungit Horatius lib. 1. Car. ode 17. *Defendit æstatem capellis.* & Virgilius Ecl. 4. *Sollicitum pecori defendere.* Nec Præfectus urbem defendere sibi dicendus est, sed Principi. Quare textus Sancti Innocentii nullã novã Grammaticã castigatione restituendus venit; sed leviora hæc insinuasle sit satis. Eodem prorsus testimonio Sanctus Gelasius Papa Pelagianos insecutus est in Epistolã ad Episcopos per Picenum: *Ut providentia Dei, inquit, omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solum dictum est: Qui non fuerit renatus ex aquã, & Spiritu sancto, non intro-* Jo. 3. *trabit in regnum cœlorum, sed etiam pariter dictum est: Qui non manducaverit carnem filii hominis, & biberit ejus sanguinem, non habebit vitam in semetipso. De vitã autem æternã hoc dictum nullus addubitãt, quoniam multi non manducantes hoc Sacramentum vitam videantur habere præsentem.* Audis Moraines, non minus ad parvulos pertinere illud Jo. 6. *Nisi manducaveritis &c.* quàm illud Joann. 3. *Nisi quis renatus &c.* Hoc Innocentius credit, hoc Ge-